



NOVA POSONIENSIA.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXIX. JULII.



tractu Danubii a. d.
2. Julii. De statu Reg-
ni Persiæ satis im-
plicato hæc publicis
inserta est relatio,
quòd tanti motûs
ibidem gliscant in-

dicia, & scintillent fomites, ut Reg-
ni ejusdem præpotentis excidium
possit Oedipus augurari. Primitus
quidam rebellis expilavit Scamachi-
am ad mare Caspium, & hæc Persica
civitas est triplex limitum regula inter
Turciæ, Persiæ, ac modò ad Czaream
Russiæ Majestatem spectantis Astra-
canæ Imperia; Absque eo Princeps de
Macao (Imanum vocant) insurrexit
contra Regimen, de variis Persarum
jam victor provinciis. Tertia verò
ejus Coronæ rebellio est magis palmaria,

ejus est primipilus sic nuncupatus
Chismeitz, alià voce Princeps Canda-
haræ; quæ provincia est finitima Indico
Magni, quem vocant, Mogoli Imperio;
cujus rebellis parens aliàs constitutus
erat Gubernator, supremum deinde im-
perium sibi arrogare cupiens; ejusdem
verò filius hâc ditione non acquiescens,
collegit exercitum, virtute cujus ani-
mosâ post sui parentis obitum urbem
Kirmanensem, seu Hermanensem in-
festis armis occupavit non modò, ve-
rùm & provinciam omnem indè depen-
dentem. Atque uti fortuna belli ge-
nerosis in animis vix frenum patitur,
ac dominandi pruritus audacem fecit
perduellem, adeò suâ in Sede Regem
Persiæ conatus adoriri, quanquam per
vepreta & viarum aspera insultus hu-
jusmodi vix possibilis credebatur. For-
tunâ

tunâ tamen, ut ajunt, ausis ancillante, suum Regiæ Sedi ex improviseo admovit exercitum, sic ut Rex proximam in arcem ægre sese receperit, vix diu insultum sustenturus; imò dicitur inde cum ferè 200. sociorum comitatu profugisse.

Hamburgo, a. d. 3. Julii. Postremis è Russiâ literis commonemur, Czarum Moschoviæ viam prosequi Astracanam, ac Ducem Holsato-Gottorficum cum Filiâ Czari Principisâ natu secundâ sub Junii medium unâ cum aliis potioris notæ Proceribus Moscuâ esse decessurum Petropolin. Czari Astracanam discessio credita quidem fuit non duratura ultra paucas hebdomades; jam verò dicitur ultra Octobrem in Persiæ limitibus esse moraturus, cum è præsentè rerum intricato ejus Coronæ statu satis augeretur, posse se contra Tartaros ac Persas quidquam in rem suam operari.

Parisis, a. d. 6. Julii. Sub quartam currentis quintâ circiter matutinâ, extraordinarii Reip. Venetæ Legati de Tiepolo & Foscarini huc intraverunt. Vix dici potest, quanto cum ardore ac industriâ debiti apparatus festinentur pro unctionis Regiæ solemniis; quem ad effectum Dominus de Cotés Regiarum Inspector Directorque navium, Jovis nuperâ, Rhemensem ad civitatem hinc equis migravit cursoribus, ad omnia, quæ possunt actum solemnem decorare, ibidem præparanda. Filius Domini de Chapelle, rei maritimæ Secretarius, lapsâ hebdomade hinc factus redux Constantinopoli rediit, Celebi Mehemet Effendi, cui ad hanc Aulam olim commissa est Legatio, incurrisse disgratiam majoris Vezirii, quòd de xeniis, seu præmiis, in functione suâ hinc receptis, Aulam Turciæ non debite informârit. Currente

septimanâ Cæsareæ ac Britannicæ Majestatum ad pacis tractatum Plenipotentiarios hinc præstolamur, ad verba conferendum super quibusdam capitibus, quæ possent congressum seu impedire seu prolatare. Passim hinc increbuit rumor Aulicus, Ducem Coronæ Regentem omni studio curare bonum Regalis ærarii, ac nuper publicâ in mensâ palam edixisse, quòd, post Neo-Regis unctionem, intendat quietum, nec debito saltem notabili aggravatum Coronæ Regimen Monarchæ nostro ad manus consignare.

E Tractu infer. Rbeni a. d. 13. Julii. Ducatum Juliæ ac Montium Status, qui Dusselanâ in Sede Palatino-Electorali etiamnum deliberant, non ita brevi confessum terminabunt. Princeps Guilielmus Hasso-Casselanus dictam civitatem transiit, termis Aquensibus bono sanitatis consulturus. Cardinalis de Althan, novus Prorex Neapolis, novissime datus ad Aulam Imperialem literis declaravit, quòd Purpurati quidam Patres Hispanici ac Gallici penes Sanctissimam Sedem operose institerint, ut altedicta Serenitas Sua in foedus Hispanico-Gallicum consors simul descendat; Sanctissimus verò talibus postulatis quasi aure surdâ nihil anuendo, publicam denuo fidem dederit, amicitiam sese cum Majestate Cæsareo-Catholicâ ex asse perfectam esse servaturum. Porta Turciæ conclusit provide omnibus de oportunis annonæ ac militaris nervi præfidiis ore Persarum finitimæ, atque ad discrimen à cervicibus Turciæ prohibendum cogit exercitum satis formidandum. De 4tâ constat ex Helvetiâ, quòd in privato Comiti de Ilderis extraordinarii penes Remp. Genuensem Legati & Comitis de Colloredo colloquio sit resolutum

in Ducatu Mediolanensi copiis Hispanicis disceptare transitum, si quo casu Lombardiam intrare præsumpserint.

Alia de eodem. Status Archidicæcèsis colonienfis Sua in Bonnenfi Sede Electorali comitia finièrunt. De romà constat Hagâ Comitum Dominum de Walpole Ministrum Angliæ congressûs Statuum Belgicorum Generalium Præsidi certam porrexisse memoriam, tenore cujus vice Regis ac Coronæ rependit gratias pro voluntate promptâ 3000. armatorum suppetias illi Coronæ transcribendi, cùm primis in cunis quasi minabatur intestina rebellio; quibus tamen auxiliis, metu turbarum dissipato, Anglia sese jam non credit indigere; desuperque Rex propensum in Republicam Belgii Federati animum est contestatus. Publica est persuasio, quæ & continuat, congressum pacis Cameraci proximo mense Augusto esse assumendum, quem ad effectum Comitum de Withworth Parisiis reditus expectatur. Orbis quidem Europæus stupet, visis tot ac tantis Czari Russiæ in bellum instructibus animosis; quem tamen in scopum collineet, non assequitur. Ceterum est in propatulo, quòd naves Russicæ in transitu Sundæ consuetum vectigal pendant Daniæ, quamvis prætendat Czarus navalis per id fretum transitûs libertatem. Cùm Rex Britannicæ non satis fidat præsentis rerum pacato statui, quæ sub cinere doloso posset fovere latentes flammæ in Regni excidium; Rex consultò moras trahit quoad vices Capitanei Generalis in prædefuncti Ducis de Marlboroug alteri compertæ fidei demandandas.

Roma a. d. 11. Julii. Princeps Borgheise pro-Rex ante hæc Neapolitanus, hic adveniens, ponderosam Lampadem argenteam in sacellum suum ad S. Ma-

riam majorem dono secumtulit. Hæc mane rumor exoriebatur, magnum Melitensium Magistrum è vitâ discessisse, eiusque loco ex portugalliæ Cavalieris quendam electum fuisse.

Neapoli, a. d. 7. Julii. Princeps de Avellino, aurei velleris Eques, post adventum suum Vienna, consuetâ à nobili statu huiate salutatione beneventatus est. Maritus quidam hic consortem suam, alia consors maritum suum & Mater alia proprium filium nece perimerunt.

Dresda, a. d. 14. Julii. Elapsâ die Veneris omnes hic præsentis Ministri Damoises & Cavalieri in Splendidissimo gallæ ornatu ob natalem Augustissimæ Imperatricis viduæ Amaliæ comparuerunt, qua die Princeps hæreditarius Regius quosdam ex primariis Ministris opiparo prandio gratificabat post peractam apud Augustissimas aggratulationis obligationem.

Warsavia, a. d. 15. Julii. Augusta Majestas nostra Regia adventans hic, ab excell. D.D. Cancellario coronæ supremo, coronæque Referendario privatim beneventabatur. Supremus coronæ Mareschallus penes palatium suum Majestatem Regiam humanissimâ percepit salutatione: varique ex post præsentis hic Magnates ad obsequiosissimam altè fatæ Majestatis servitia comparuerunt. Noster ad ottomannicam portam Ablegatus ut relata ferunt, Adrianopolin à Bafsâ ibidem residente in comitiva copiosissimorum tam nobilitate præcellentium Turcarum, quam Janichiriorum gratificantissimè introductus est. Si quibusdam adhibenda fides, Turcarum Imperator, ob ingravescentem Constantinopoli Contagionis luem, proximis Adrianopoli diebus adventabit.

Posonii, a. d. 29. Julii. Eminentissimi Cardinalis è Ducibus Saxoniae (titl.) defacto in valle Mariano Semi-altero ab hinc milliari, Sanitati consulit, proximis ut opinamur, diebus huc ad consultationes diætales reversurus, quæ præfente Eminentissimo Cardinale è comitibus Csaky (titl.) quàm sollicitissime ab Inclytis Regni Statibus prosequuntur. Non solum hic sed & in propinquioribus regni nostri civitatibus Militis cæsarei conscriptio, non parvo gaudet concursu, ita, ut deficiens in legionibus cæsareis miles conjecturaliter opinatò celerius in paratis stare valuerit, Qui in Sacratissimæ Cæ-

sareæ, regiæque nostræ Apostolicæ Majestatis commoratione hic statione suâ paratissimi erant Milites, ante paucos ab hâc dies submotis castris ad priora æstivalia redierunt.

Viennâ, a. d. 24. Julii. Hesternâ die excell. D. Comes, D. Nicolaus Illésházy ab Illésháza Regni Hungariæ Cancellarius Posonio revertens Sacratissimæ Cæsareæ Regiæq. Catholicæ Majestati de iis, quæ hucusque ab Inclytis præfati Regni Statibus conclusa in impetratâ gratiosissimâ audientiâ, retulit, hodie Augustissima Majestas sanctiori interfuit Consilio.

P. S. Venalis apud me invenitur typis meis editus libellus in 4.to cujus titulus: *Anacephalæosis, seu brevis res Diplomatica supremi angelici Constantiniani Heracliani primi Ordinis S. Georgii* dedicatus Augustissimo Romanorum Imperatori Carolo Sexto, &c. &c. Supremo Ordinis hujus Angelici Protectori, &c. &c. Authore & Dedicatore Laurentio Vigilio, de Nicollis Sacerdote Nobili Tridentino. Pretium ejus in crudo 1. fl. 15. Denarii.

Præter hunc alius libellus in linguâ Hungaricâ, cui Titulus Tisztelendõ Pater Szent Agoston szerzetbeli Laurentius Scupuli Lelki Viadalma. Melly az õ igen Lelki hasznos voltáért Olasz nyvbûl külõmb-külõmbféle nyelvre fordéttatot, és ki bocsáttatot. Most pediglen újonnan egy Seraficus Szent Ferencz Szerzetbéli Atya által Magyar Nyelvre fordéttatot, és ki nyomtattatot, & hic libellus in Octavo, sine ligaturâ constat Denariis 40.

P. S. P. S. Rogandos volui Lectores, Patronosque meos, (titulis suis dignissimos) præsertim verò illos à quibus contractum laboris mei pretium dato non solutum, ut proximâ quâ poterint ordinariâ, ejus restantias, aut transmitters, aut hic assignare, mihi que placenter insinuare velint; ad contentamentum in hisce novalibus ero semper paratissimus; notificans decenti cum honore, ab hac in posterum die, annuale pretium fore fl. 5. Si itaque Patroni mei (suis titulis dignissimi) ulteriùs continuandâ hâc meâ novalium lectione perfruendi desiderio animati: iteratò rogandos volui, ut pretii præmentionati dimidium semi-annaliter antecipato exolvere dignentur.

Typographus.